2

# GEMINA PVRPVRA

*VATICANA*

Et GENTILITIA

Eminentissimi Domini Dñi

# OPPITII PALLAVICINI

*S. E. R. CARDINALIS*

ARCHIPRÆSVLIS EPHESINI,

NVNTII APOSTOLICI IN REGNO POLONIÆ

*Lyricâ Poësi*

A POLONA SOCIETATE IESV

CELEBRATA

*ANNO ADORATI IN CARNE VERBI*

M. DC. LXXX VIII.

3

*Is mihi bis Princeps, gemino cui mu-
(rice fulget
PURPVRA.*

NEOTER.

Rarus, quem ſūmo defixit Cardine rerum
Antè Genus, pòſt Pulcher Honos.

*Idem.*

# EMINENTISSIME
# CARDINALIS
# ARCHIPRÆSVL
## & Domine Dñe
## REVERENDISSIME!

SEriùs in *Uaticani Senatûs Purpura Te noster colit canitq; Apollo; quòd* raro tanti fastigii exemplo *citiùs detrectares. Primum hoc Tuum fuit in linguas & calamos imperium, quo literariæ urbanitatis officia vetuisti: &* maluimus esse, aut videri potiùs tantisper inurbani, quàm inobsequentes. *Si quod id crimen est, rea fuit Tua modestia, quæ novas tacendi leges Apollini Tullioque indixit. Diuturna nobis lucta cũ hac intercessit; sed vicimus, Romæ arbitrijs freti, quæ dum Te tanto munere coronat,* exemplum illius pro imperio est, *& modestiæ Tuæ vetita prorsus abrogat.*



*Et nostrâ*

*Et nostrâ interest eniti, non quæ nolis velisvè, sed quid mereare?* *Imò* rea taciturnitas est, quæ expectat, donec modestia cultorem velit; *quasi se illa unquam possit exuere. Oderit sanè laudatorem in Purpura:* Sed is eum sibi maximè obstringit, qui recusat. *Quanquam* modestiæ pæna quædam est, quòd ipsa sibi sit Orator *laudatorq;, dum alios imperio elingues facit; aut quòd hoc ipso* ora omnium relaxet, dū omnia compescit. *Iam ergo tandem Sarmatiæ plausus patere, quibus grandior Romæ Purpuratus tamdiu obluctaris. Sat illis repulsæ, prope biennium;* & sæculum est amantium votis, mora productior. *Honorari postulat tantus Honor; tamquè illi iniurius est, qui cultum subtrahit, quàm qui ultra prohibet.* Etiam Majestas Numinis abditum amat; tamen admittit cæli murmura, quæ Tonantem probent. *Usque adeo nec illa Majestas est sine* canora nubium fulminumque lingua, & *extorquet reverentiam* impressus à tonitruis timor. *Plausus quidem Apollinares aut Oratorij non tam sonori,* nec terror in illis, sed honor amorq; personat; *attamen hi etiam terrarum Numina colunt, & proniore ingenii cultu talia testentur, ubi succumbit argumento etiam profusa laudatio.* Sic vinci, Majestatis trophæū est, *quæ dum superat ingenia, sibi pæanem encomiis terrarum potiorem canit. Tuæ verò augustæ origini, vel Vaticano Muneri quid par quisquam proferat?* Majorem Te Principum fortunâ, parem solijs effecit Roma; *nec Purpurea vitta, quæ Tibi nunc emeritum Caput operit, minor* Coronâ Regum est. *Tantis enim Numinibus stipatur,*

*patur Pontificia Majestas*, nec tam ille Sacer Senatus Patrum est, quàm Regum; *id quod etiam Cyneas de toto Romæ veteris Senatu ambitioso sane elogio censuit. Verùm Tu non Romæ duntaxat arbitrio Tantus; pridem eminet etiam extra Romam eiusquè tot Colles PALLAVICINVM Nomen. Nam*, ut obiter Gloriæ Vestræ fastos evolvam; *Meminit vestrî Oriens, qui ad triumphalium armorü fulgur sub tantis Ducibus sæpius cohorruit. Auctus Othomanicæ Auroræ pudor, seu cùm in eius clades NICOLAVS* ( natum ad victorias Nomen ) *PALLAVICINVS ferrum distringeret; seu cùm ABRAINVS inter maritima felicis Naumachiæ trophæa, tot Rostratas Navalesquê colligeret; seu cùm ANDREAS Ægypto*, THEODORVS *Trapezunti instar fulminis irrueret*, gravior uterq; Orienti, *quàm ut occasum sui Nominis ab Heroa PALLAVICINORVM manu non pertimesceret. Nam LANFRANCVM veterum Heroum sæculis parem, adhuc Cypri* Regia *expavescit, ab eo demum edocta, PALLAVICINIS* Regum colla submitere, *dum Regem Cyprium palmari prælio fusum victumquè, Genuam deinde vinctum LANFRANCVS Victor perduceret*; nihilque augustius vidit tunc Occidens, Rege per PALLAVICINVM Captivo! *Par gloria* Tuæ *Gentis extra arma*, & in Solium pænè evasit. *Caput Familiæ* Coronatis proximum, *certè Coronas meritum, fuit ADALBERTVS Dux Latij*, alter Italiæ Cæsar. *Tantus ille apud* OTHONEM *III, ut per vicarios Fasces* cum hoc Iove divisum haberet imperium. *Crevit glo-*



*ria*,

*ria*; *cum ejusdem consortia* ADELAIDÆ *Sorori exambit &* idem Paranymphus, qui Cæsar, *non sine augusto* tanto Generi *Cognomento. Adhuc* [redacted]*a* IOANNIS PALLAVICINI *Nomen adorat*, *quem ProRegem libens acceperat*, regnis immortalitatem ominata, si tales Sceptra capessserent. *Nam Serenissima Genuensium Respublica è triumphalibus Liguriæ fastis abolebit nunquam* AVGVSTINVM PALLAVICINORVM *sidus*, *quo Duce tempora vix tot annis aut mensibus distinxit*, *quot trophæis, non illustrior oblatis ei tantis fascibus, quàm ille gestis illuxerit. Sed iterum* Cypri Regiam reviso, *ubi* BENEDICTO PALLAVICINO *geminatus fulgor*. *Regem in cippum vincula redegerat Mars iniquior*. Puduit diu sic esse infelicem; *sed Cyprus in pretium libertatis vix suffecerat, nisi* BENEDICTVS *ærarium effudisset*. *Augustum id sanè*, Regem PALLAVICINO libertatem & regnum debuisse, *ceu in manu illius foret* Reges *fortunæ* reddere, *quos servili nexu beneficè exuisset*. Præmiū restituti Solij fuit Regalis Hymenæus, *quo Filia liberi è captivo Principis Liberatori cessit, & pronuba Regali Amulo felicitas Thronū thorumq; eidem innexuit*. Plus luminis *in* BABILANVM profudit augustior fortuna. *Is Galatææ imperio felix*, *Palæologi, cui Oriens parebat, affinitate felicior cum Augusti ejusdem Filia ipsimet felicitati nupsit.* Adeo PALLAVICINORVM *nomen affine Solijs, & sanguini Cæsarum permiscetur*. *At nec honorariæ Legationis illustre munus & repetitus exinde splendor* PALLAVICINOS *præterijt. Summos id ambiit*

*ubiq;*

*ubique, & in hac præcelsa Propagine semper reperit. Patuêre illis tot Principùm atria, quibus sui Nominis reverentiam fixius impresserunt. Satis sibi felices videbantur, qui tantos in illo Orbis theatro spectássent Oratores: fuitq;* ingens tot populis gloriandi materies, *PALLAVICINOS ad se divertisse. Arrexit autem ABRAINO & PETRO Regia Galliæ, DAMIANO Hispaniæ & Arragoniæ, JACOBO Armeniæ primùm Curia, mox Ierosolymæ & Cypri, MARTINO Angliæ, GASPARI auqustal Orientis. Sic Grandiores Cyneæ, tot longinqua terrarum regnorumque nativis fulgoribus serenatis! At verò ad Romanam Tibi purpuram quot è Tuis præivere,* etsi nemo fortasse gloriosiùs! *Sedit in hoc Ecclesiæ Senatu* ANTONIVS PALLAVICINVS *cujus facundiam expavit Gallia, cùm repetundarum apud* CAROLVM VIII *ageret tantus Orator Pontificum* INNOCENTii VIII, ALEXANDRI VI. Fulmen is in lingua gessit, *quo Principis illius cor perculit, adegitq;* ad pacis jura, quæ nemo feliciùs persvadet, *quàm ea ratio & oratio, cui robur inditum á Persona. Eodem in fastigio eminuit* IOANNES BAPTISTA *sub tanto Nomine* gestis quàm ætate major. Atlantem alium causæ noluère, *quoties illi negotiorum moles incubuit. Vsi eodem feliciùs* quàm eventuum dubia sinerent, *nec votis illusi* LEO X, ADRIANVS VI, CLEMENS VII, *Vrbis Orbisq; Antistites. Sic ei juvenilem Purpuram illustria eventa honestárunt*; documento, quòd PALLAVICINA indoles ætatem prævertat ad maxima. *Quid LAZARVM* in eodem Galero grandiorem

diorem Mercurium *é fastis revocem? quem & munificentiæ monumenta affatim loquuntur, nec fama adhuc silet, quâ Bononiam Vaticanus hic Hospes impleverat. Tantus inter Ecclesiæ Purpuratos accedis, Eminentissime Antistes, nec minor adhuc in Teipso, quàm Tuis, qui* tempore *Tibi præiverunt,* non *gestorum* munerumquè Majestate. *Agnoscerent redivivi eorum Manes in Te plurimum sui, &* pleriq; se infrà reponerent. *Si enim paci Publicæ studuerunt,* Tu præpolles, *sub hæc tam iniqua temporum.* Etiam *te Austriaca, Pannonica,* Othomanica concernit laurea, *quòd Orthodoxorum Principum arma per Te coaluerint.* Sociatas Imperialibus *Aquilis Lechicas Vienna gaudet; sed Tu etiam in hæc fœdera impulisti* Si à nervo belli Martiæ vires solidantur, *a Tua manu id barbaricus Oriens expavit, in qua* hoc Cornucopiæ *& belli robur Roma reposuit. Non unam proinde* Castrensem togatus Antistes meruisti, *auro sic Orientis Tyranno gravis, du Sarmatiæ castra ferro. Hinc eo tempore Tibi Roma Purpuram destinavit, quo Turcis Cælum funera. Nam Laureæ Budensi Tuus innexus Honor, qui tam á murice, quàm á Cruore barbaro traxit purpurissum.* Sic per ruinam Orientis barbari assurgis, &, *( quod Cælesti illi sideri contingit )* inter eclipses Lunaticorum exoreris; *vel, quod Ceraunia Gemmæ non indecorum,* inter tonitrua, *scilicet Martis Orthodoxi. Gaudet his Tuis Vaticanis insignibus* & Ales Sarmatica, *tantum in Te luminum nacta,* ut Solem nolit, *in quo aciem maximæ lucis patientem exploret. It in plausuum consortia & noster Apollo, obstrictus tanto Nomi-*

*to Nomini, quod in Societatem minimam lucis plurimum refudit; dum é nostratibus umbris evocaretur ad purpuram Eminentissimo* SFORTIA PALLAVICINVS, *atq; gemino tunc nos afflaret radios seu dum tantum nativo intra religiosæ polos modestiæ nobis idem Nomen affulgeret, nec desinit hucusque tum in* EMINENTIÆ TVÆ *Fratre, tum in Propinquo, utroq; Dignissimo affulgere. Majori Tu quidem dignus Apolline; sed nec hunc aspernabere, qui ubi deficit,* Te ceu Numen adorat *maius terrarum entheo. Quod si ad vetusta Tuorum penetralia hîc deflectitur; sic umbraticus pæné stylus ab illorum etiam nativis splendoribus ( quamvis Tuus etiam unius solem exæquet, & minora extingvat lumina ) lucem emendicat. Quas quidem umbras dum ad Tuæ Eminentiæ plantas ( nec enim tantas manus temerare audet subito calore effusa lucubratio ) nobiscum deijcimus, Tu* Novum in Vaticana Purpura Sidus, *eas illustra.*

*Quod si & publica non abnuis vota, ita in hoc Quirinali murice diu sæculis effulge, ut omnia Te sibi mutuó precentur, ætati huic invideant, quæ non beatius triumphis, quàm testibus triumphorum tuis insigni-*

*insignibus exornatur. Ita inter vota diuturnæ in hoc & altiore fastigio felicitatis precatur*

*Tuæ Eminentiæ*

Devotissima

POLONA SOCIETAS IESV

# *PRIMA EMINENTISSIMI*
## *Cardinalis Panegyris,*
### DIV PANEGYRIM RECVSANTIS.

I.

INuidis tandem caput effer umbris
 Purpuræ Sidus Latijq; gemma;
 Rumpe, quæ pridem colis obſtinatus
  Nubila, Phœbe.
Quamdiu magnum ſine luce nomen,
 Cynthiam cæcas velut inter umbras,
 Aut nigrâ fulvum patiere Solem
  Nube teneri?
Publicum famæ, Tibi notus uni,
 Inter illuſtres latebras decorus,
 Temne, per Regum & populi peroſus
  Ora vagari:
Inuide magnum, nec inane laudum

Nomen æternis radiare fastis;
Nulla Te nostro moritura dicant
Carmina plectro;

Te tamen muto latebræ recessu
Publico pandent, auidumque noctis
In die ponent iubar, & diserta
Te canet umbra:

*Perfidæ pulchrum retinere solem*
*Nesciunt nubes! loquitur latentem*
*Ipsa nox lunam: male credit umbris*
*Phosphorus ignes.*

Quâ potes, frena iubar; & sereni
Nominis lucem prohibe videri:
Abditis ures meliùs stupentem
Ignibus orbem;

Vmbra, quâ squallet speciosa virtus,
Induet solem, niueæq; mentis
Gemmeæ dotes, & auita sacræ
Munera stirpis,

Quæ Tuis Tellus pretiosa cunis
Prima reptantem coluit: quod Astrum
Aureo risit puerum sereno,
Pandet Apollo?

Quæ Tuas blandè trepident secures
Regna

Regna, qui nutum populi ſeuerâ
Lege formident, famuloq; adorent
Vertice plantas:
Regio qualis redimitus auro
Cæſarum ſeſe Tibi Sanguis arcto
Illiget nexu, Latiiq; vittis
Tempora cingat,
Haud latet Pindum, Tibi qui reclines
Laureas, doctæ decora alta frontis
Pronus inſternit, cupidasq; magni
Nominis alnos.
Te ſitit caſtis Helicon fluentis;
In Tuæ, Præſul, monimenta laudis
Trudit argento liquidas & auro
Pegaſus undas;
Ite, quos urit malè ſanus ardor
Nomen iuuitis celebrare faſtis,
Et reluctantes in adacta ducit
Metra Camænas;
Aureæ fruſtra Proauos Columnæ
Inferunt aſtris, pauidasq; vendi
Mercium ritu Domus alta ponit
Ordine ceras:
 Quid

Quid repercusſo micuêre ſole
Fulminum ludus Boreæq́;, Turres?
Ære quid lucet Tholus, & rubeſcunt
Pergama Gange?
Quid loqui ſaxum Phidias adurget
Nomen hæredis? vel Hydaſpe tinctas
Nobiles ceras geniale ſtirpis
Schema Timantes?
Erutum ſudet Parijs cauernis
Marmor, & gentem niueis laboret
Ferre ſub nubes humeris, decuſq;
Inſerat aſtris:
Solus in marmor, memoreſque faſtos
Dignior duci, ſubeuntis æui,
Quiſquis Heroum potuit ſequacem
Temnere famam?

## II.

## *Eadem Eminentiſſimi Modeſtia ad lyram decantatur.*

Vt gemma conchis clauditur, ut Tagi
Conduntur imis, quæ pretio tument
Arenæ

Arenæ, ut obryzum lacunis
Auriferæ premitur cavernæ;
Ditiquè venâ: parcus ut aſpici
Sol, ut videri Numina reſpuunt,
Vt Phæbus aulæo, Deorum
Iuſſa premit ſeriemque fati:
Vt ſive pleno, ſeu medio rubet
In ore frater, Cynthia noctium
Exambit umbras, utque *Summis*
*Stat potior latebræ cupido!*
Sic Tu decori ſidera nominis
Iniurioſo carcere comprimis,
Odiſſe ſplendorum trophæa
Ambitioſus; amatque tota
Latere virtus. Pectore quam geris
Virtutis aulam (quale recondita
In arce mentis ſe recludit
Omnigenæ probitatis agmen!)
Quin innocentes enatat in genas
Deusque, rectùmque ex animo, & pia
In fronte colludens adumbrat
Se proprio pietas colore;
Arces aprico ſole frui tuæ

Men-

Mentis ſerenum, quod ſibi publico
Vetatque ſcenâ, ſed beatas
Cordis opes animo coërcet;
Te priſca celſum Nobilitas vehit
Famæ quadrigis: fulgor in atriis,
Ceræque per vultus Quiritum
Mille micant; tamen hæc modeſto
Auguſta ſensu deſpicis, & Genus
Fatis relegas. Concolor & ſuis
Te fama cunis, non ſuſurro
Plebis, aut Zephyri caducis
Permiſit alis; ſed ſolidæ inſtruit
Carpenta laudis gloria: Tu tamen
Theatra ſpernis, & tacentis
Famæ avidâ pietate gaudes.
Et noſtra plenis pagina laudibus
Dudum intumeſcit, jamque ſilentia
Phœbuſque, Tulliuſque damnans
Tot queritur latuiſſe magna
In mente dotes, quin & honoribus
Trophæa demi, nube modeſtiæ
Titana vanuiſſe, mergi
Non humilem puteo Coloſſum,
Abſcon-

Abſcondi Olympos: parcior at Tui
Ad murmurantis claſſica gloriæ
Plauſumquè ſudatasque laudes
Fers animo, quaſi grande vulnus.
Iurata claris fama Quiritibus,
Si te laceſſit, nec vitio vacant
Tributa laudis, ſic piâcli
Eſſe reos minimùm pudebit,
Seriſque temet tradere poſteris:
Semper mereris, vel ſemel excipe
Æternitati quæ tuarum
Ingerimus monumenta laudum:

III.

## *Originis Avitæ Eminentiſſimi CARDINALIS fulgor & vetuſtas*

NOn ut coruſcum, quod ſubitò micat
Ardore fulgur, vix timidum ignibus
Exterret orbem, mox fatiſcit,
Et volitans moritur, pudetque
Fulſiſſe tantùm; nec quaſi ſtirps ſuî
Paterque Phænix occidit, ut nova

Ex ſe renatus auſpicetur
Luſtra, novis reſecanda fatis,
Sed ut perenni defluus alveo
Se per remotas Eridanus vehit
Genteſquè, Regnorumque tractus;
Nil populi pecudiſque crebro
Siccatus uſu, ſive bibacium
Siticuloſis potus ab oſtiis
Hinc inde torrentûm, ſitiue
Indomitâ fugientis ævi
Multus bibatur: creſcit, & altior
Auctis tumeſcit fluctibus, attrahens
Vires eundo: ſic Tuorum
Nobilitas, & honos Auorum,
O Diva Regum Progenies, ſacro
Cùi fœderantur ſanguine Cæſares
PALLAVICINE, quàm profundè
Irriguo cumulatur amne!
Currunt Potentûm flumina mentium,
Virtute virtus truditur, & viro,
Vir ſemper; at pulchrè enatantûm
Ad Superos animorum inundat
Decora tempeſtas, neq; ſeculis,

Fati

Fati nec atrâ diluvie minor:
Quin magnitudo se propagat,
De senio gravibusque sumens
Annis vigorem. non ego ab origine
Evoluo cunas, quas generosior
Lucina conformauit auro,
Vel solido ex adamante cudit
Fortuna solers? hæc nec originem
Æterna nòrunt; sed reuocet memor
Apollo ADALBERTVM, trecentos
Fama cui titulos ministrat.
Illum cruentis stipat adoreis
Bellona, pulchris siue furoribus
Calescit Heros, sive Othonis
Belligerum moderatur agmen.
Hunc & superbus Cæsareis Hymen
Tædis perurit, Cæsaream in thori
Vitæque consortem, marito
Connubio socians Sororem.
Tandem potentum colla Quiritium
Prægressus, audit Dux Latij, & Thronis
Major Tyrannorum, Latinis
Iura dabat Vice-Cæsar oris.

*Adalbertus Dux Latij. sub Othone III. & Italiæ vice-Cæsar, Author Familiæ Pallav.*

Hic Stirpis Author nominis extulit
Latè serenum: nec proauis minor
Se fama sparsit in nepotes:
Inde Ducum Procerumque fœtu

Inde Duces Marchiones, Fluxêre: pleno gurgite Nomina,
Nouisque semper sub titulis tumens
Virtusque, majestasque Auita
Stat, nec iners cumulare fastos,

Nullo senescit tempore: sed petit
Nitere maior gloria posteris:
Trophæa pro rugis, cygnæis
Proque comis numerare laudes.

## IV.

## *Eidem præcelsæ Origini rursum accinitur.*

Quid diu magnum stetit & perenne?
Inuidet longos mala sors supremis
Fascibus Soles; micuêre paruo
Fulgure sceptra:

Regio si quem cumulauit auro
Perque

Perque proſtratas dedit ire gentes
Perfidum Numen; Pylij negauit
Neſtoris annos.
At Tibi longo famulantur æuo
Sæcla centenis comitata luſtris,
Principum Phænix, Procerumque, & alti
Sanguinis Author.
Te Palatino pretioſa cinctu
Roma regali Solio reclinem
Collibus ſeptem geminis adorat
Iura ferentem.
Siue trans Alpes Vice-Cæſar audis
Tertii accendens Trabeas Othonis,
Aureâ frenas populos habenâ, &
Lege Quirites:
Sêu Ducem pronæ Latij ſecures
Faſcibus lætum trepidant ſupinis,
Cæſares vincis, meliùsque bella
Enſe coerces;
Siue majores Patre Te nepotes
Gemmeâ geſtis radiare pallâ,
Non pudet vinci Genitor ſuperbâ
Luce minorum


Nec

Nec minas crudi furiasque lethi
Expaue, Princeps: superas in uno
Roma quem sacris redimit tiaris,
Sæcla Nepote.

## V.

# NEXVS AVGVSTIOR
# *PALLAVICINÆ.*
## *DOMVS*
## *Per cognationem & affinitatem*
*cum Imperatoribus Orientis & Occidentis, ac Regibus.*

SI quæ Nepotum gloria, gemmeis
Vagisse cunis: dicite Gratiæ
PALLAVICINORVM nitores,
Quos Tyrijs generosa fovit
Lucina pannis. Nam neq; Caucaso,
Nec obstinatis nobile rupibus
Genus recuditur, Petrasque
Et silices animâsse doctus
Non dura crudo Deucalion satu

Vel

Vel Pyrrha ſaxi ſemina, ſaxeam
Effudit in ſtirpem: refiĉto
Nobiliùs ſoboleſcit auro
PALLAVICINVM nomen. Vt aureum
Iubar renidet (jam video pyras
Ardere, quales tunc (Deorum,
Si qua fides caluiſſe nuptis
Thoros Deabus) feſtus Hymen Ioui
Vſſit, marito fœdere pronubi
Dijque Iunonem Deæque
Dum thalamo, imperijſque cæli
Inaugurarent. Fallimur: emicant
Splendore Regum conſpicuæ faces,
Et Imperatorum Sereno
Enituit ſociale ſidus.
Nam qui redempto Principe, Regiæ
Eſt ſortis auĉtor creditus à Cypro
Gratante, Regalis meretur
Eſſe Gener BENEDICTVS; altæ
Virtutis ut ſit nobile præmium,
Regum ſerenis è penetralibus
Deduĉta Conjunx. parque viſum,
(Sic Cyprio ſtatuente regno)

*Benediĉtus. Pallav. Regis Cypri filiã ducit.*

Sceptra & Nepotes Principibus dare,
Expallet æther sidera Cælicis
Maiora, queîs terras beavit
Cæsareis paranympha tædis
Fortuna, dum bis nomina Cæsarum
PALLAVICINIS miscuit. Hic, ubi
Othoni ADALBERTVS Latinas
Arbitrijs moderatus urbes
Bellique casus: ergo sororius
Cæsar dicavit de Patruo satam.
Sic jmperaturam tot oris
Progeniem paritura conjunx
Augustiori sub lare debuit
Crevisse. Post hæc jmperialium
Affine lumen atriorum
Cæsaribus propiore Ceras
Afflavit astro. Nam Genialibus
Aurora flammis riserat Hespero;
Augusta postquam BABILANO
Nata, Palæologi decoro
Adstricta nexu. Quis thalamos Hymen
Quis sic beavit? ne rude vinculum
Mentesq; corrumpat manusq;

*Adalbertus Pallav. Adelaidam sororem Patruel: Othonis III. Cæsaris.*

*Babilanus Pallavicinus filiam Paleologi Imperatoris Orientis duxit.*

C 3 Conju-

Conjugio decus illigatur,
Nubens eodem fædere gloria
Dotale nomen devehit ad viros,
Et lumen Augustis superba
Accumulat Nuribus Diana.
Alter vetusto turgidus Inacho,
Lamiq; canis, aut Proavo Iove
Nutrire figmentis inane
Nomen amat, malè fabulosus
Nepos Deorum; Gloria verior
PALLAVICINOS magnanimum Genus
Dici Quiritum, cara Regum
Pignora, Cæsareos Nepotes.

## VI.

## *Eidem Connubiali Fortunæ epos Lyricum.*

QVi paludatæ monumenta Sortis,
Præsulum vittas, Trabeasque Regum,
Principum fasces, tumidasque gestit
Nôsse curules;

Palla-

PALLAVICINÆ penetrale Gentis
Sufficit lento ſubijſſe paſſu,
Et vagum grandi Procerum Senatu
Figere lumen.

Sidus Auroræ radiauit illic
Cæſarum ſanguis, per Eoa lucem
Sceptra producens genialis olim
Fœdere nexùs;

Teſtis auguſtæ Galatæa dotis,
Iura cui dicis BABILANE magni
Cæſaris tantus Gener, & ſupremi
Gemma Thalaſſii

Inde ſublimi ſolio decorus
Cyprio ſurgis, BENEDICTE ſceptro,
Regio nomen Tibi creſcit, altæ
Sanguine Sponſæ,

Sic manu quidquid pretioſiore
Sparſit in ſummos Honor hic relucet!
Omnium iactat Domus una Faſces,
Et ſibi Regnum eſt;

## VII.
## ENTHUSIASMUS.

*Eadem*

## *Eidem Affinitati augustæ PAL-LAVICINORVM accinit.*

NVper in Ausonijs fixit me Musa theatris:
Hæcq; dedit spectacula menti.
Fama, sonoriferas lituis demulserat auras,
Et turbas exciuit ovantes. (theatra
Nec mora: quisque volat: populo properante
Fessa gemunt: sub pondere sidunt:
Pòst, in Apellæo princeps molimine dextra
Cæruleis delabitur astris.
Vt Circum subijt, grandis documenta laboris
Exposuit, traxitque videntes.
Vidimus effossis convulsa repagula tumbis;
Et Mortem fugisse sepulchro!
Vidimus augusto geminos de pulvere Manes
Surgere majestate timendos.
Illos sceptra vocant: cingunt sub murice frontẽ
Cæsareæ Regumq; Coronæ:
Inde catenatus spumantes Adria fluctus
Cum Veneta desponderat urbe:
Illinc Carpathio fluitans super æquore Cyprus

Principibus veſtigia lambit:
Obſequio facilis famulos Galathæa Triones
Subdit, in imperium ruitura.
Tum Bizantini Rector moderaminis, ultro
Omne decus tranſcribit Honoris.
Hâc dū oculos vulgi delinit imagine grandis
Scena: levant præcordia vocem. (ltu.
It clamor: queruloque ſtrepit vaga turba tumu
Quæ facies? quæ ſcena, recurrit?
Mortua nū Superos loquitur tua pagina, Pictor?
Quoſve Deos pictura notavit?
Ille ſtat: Authoremq; ſui tenuere colores;
Eripuit vel imago loquelam!
Ergo ait, ac iterum dubias clangoribus aures
Fama petit: ſtrepitumq; repreſſit:
Turba ſilet: ſtreperas hauſere ſilentia voces;
Suſpendit veneratio linguas:
PALLAVICINÆ ſplendent hæc Sidera Gentis,
Par decorum, duo fulgura mundi;
Prim9 Achille animo Venetis, Benedict9 in armis
Iura, dabat regnante Gradivo (raræ
Quem Regalis Hymen Cypria cum Principe,
In pretium virtutis adornat,
Alter,

Alter honorati, Babilanus, Nominis hæres;
Quem Dominum Galathæa timebat:
Quemve Palæologus ſociavitfædere Natæ,
Byzanti moderatus habenas.
Audita hæc populis: taciturnaq; pectora rupit
Plauſus, quo propylæa ſonabant.
Fama, ſed, è medijs rapuit ſpectacula pompis;
Et nitido defixit Olympo.
Hæc (ait) aſtrigero debentur Numina Cælo:
Non terras, verùm aſtra ſerenent.

## VIII.

## VATICANA PVRPURA
## *Tot EMINENTISSIMORVM*
### *Ex PALLAVICINA ſtirpe CARDINALIVM.*

At neq; purpureum ſubito tibi vellus erubeſcit
Murice, vetuſto jam micas in oſtro:
Patritii redeunt tituli, trabeas reducit hæres
Gloria, & avitum ſe decus propagat.
Sic geminat ſe fama vetus, ſic ambiunt renaſci,
Et ad Nepotes defluere Tiaræ.

Sic Dominos agnoſcit honos, & Purpuræ lacertos,
Notamq; ſerpit in comam Galerus.
Et propriâ virtute vehi ſuper altiora Sortis
Te juvat, & ire per gradus Avorum.
Namq; ut Marmarico quoties leo gignitur cubili,
Cuicunq; naſci contigit leonem,
Naſcitur ad regnum: nempe indole non rudi, ſuisq;
Natalibus ad imperium inauguratur.
Talis in auguſtis Lucina laborat ipſa cunis:
PALLAVICINOS, *ut nefas ſit eſſe,*
*Sint niſi Supremi;* fortunam ſcit præalta virtus,
Fortuna ſummos audet anteire.
Si quis ab imperijs Aulæ, vel curia Quiritum,
Aut turbulenti Martis è procella
Convolat in tutum venator ſanctioris otiî:
Veſtigat umbram ſacer honos, & ultro
Vel bifido crines diademate, vel rubente vittâ
Caſtigat acrior modeſtiæ ultor.
*Antonius Pallav. Cardinalis ſub Innocen. VIII. & Alexan: VI.*
Gaudebat titulos ANTONIVS, & fori togatas
Poſuiſſe curas; quin ſuî potitus
Imperio, ſibi jura dabat, Magnus ſuî Imperator:
Auguſta Regnum mens ſibi faciebat.
Sed tenebras exoſus honor, vittaſq; purpuraſq;
E Vaticano protulit Senatu.
Jlle & Tarpeii Patris auguſtam induiſſe mentem,
Et Gallicanis vix ferenda ſceptris,
Perſua-

Perſvaſiſſe potens, facundo ceu tonaret ore,
Scaldimq; tenuit, Sequanamq; ſuadā
Vota Quirinali retulit, quaſi juſſa de Senatu,
Caroloq; ſic ſvaſit, quaſi imperâſset,
Viſus belligeras ſub pectore copias, in ore
Geſſiſſe Martem: ſic recepit urbes
Eloquio, ut Carolus vinci Mavorte neſcius, ſe
Sentiret acri dictione victum.
Mox & Purpureos inter Latij Patres, IOANNE, *Ioannes Papiſta Pallavi: Cardinalis ſub Leone X:*
PALLAVICINI nominis ſerenum
Eſt auctum; cui prima ætas non marcido fluebat
Luxuq;, inertisq; otio voluptas:
Terrarum Dominus, ſed terris major, in laborem
Mundiq; curas par graves venire,
Induit ante ævum canos, viridemq; per ſeniles
Inſtruxit auſus non levis juventam.
Ad conſanguineos Te, LAZARE, Purpurata Faſces *Item Lazarus Pallavi: Cardinalis.*
Curia popoſcit; ô decus Latinis
Nominis, æternis adamantina fama Te trophæis
Romæq; geminavit Bononiæq;!
Fabula mendaci laudes ubi buccino per aures
Devehit, inani diffluunt in aura.
Gaza Tuum quâ fata hominū Divûmq; ſuſtinebas,
Nomen futuris devovebit annis.
OPITIVS demum Patruiſq; Atavisque Purpuratus
Nepos, rubentes adijcis tiaras

Iam Procerum decrevit apex Tibi, Principũq; vittæ,
Et sola Regum sceptra comparantur.
Ite boni soles, veluti Rosa vere, sic amabunt
PALLAVICINIS pullulare fasces.
Namq; ubi stelligeris honor excubat inquilinꝰ astris
Et ponè Pietas gemmea sub arce
Purpureas decernit opes meritis, decôra surgunt
PALLAVICINO Sanguini trophæa
Lenè micat radius Trabeæ, fulgurque non inane
Honoris, & sacri rubent Galeri,
Præsulcique nitent, virtutum fulcra, scipiones.
Et tota decorum ridet officina.

## IX.

## IOANNES PALLAVICINUS SVPREMVS BELLI DVX LOMBARDIÆ & Prorex *Catalauniæ lyricè decantatur.*

QVò me, decoræ Filia Gloriæ,
Subvecta fessis Fama jugalibus
Attollit auratâ curuli,
Nubigenam super acta Pindum?
Serena Magnis plena Quiritibus
Datur tueri limina: palpebras

Hinc

Hinc purpurarum lumen, inde
Irradiat trabeata virtus.
Augusta pulchris atria fascibus
Fulgent, Quirinis mista curulibus,
Mitræq; Syrmatumq; splendor
Empyreos imitantur ignes.
Hîc fulguranti Munere purpuram
Ornas IOANNES, seu Tibi Gratia
In nomen effudit nitores,
Seu Tonitru dedit esse natum,
Auguste Prorex, Gloria Nominis
Lombardiani. pòst Catalaunia
Illuxit, olim te supremos
Imperij moderante fasces;
Tibi recluso cardine gloria
Fudit decores. Diues Amaltheæ
In PALLAVICINOS nepotes
Iecit opes pretiumque Cornu;
Non sic Neronis splendida diffluunt
Injuriosis atria luxibus:
Non, quæ per auratos refulgent
Damna maris pretiosa, postes.
Theâtra non sic aurea, molibus

Pompe-

Pompejanis, lumine fulgurant.
Non ære perfusi Coryntho,
Tracta movent simulacra Martis.
I Fama, dixi: purpureis Notos
Adstringe loris: frigora Moscuæ
I vince, Neptuni procellas
Et gelidas Aquilone lymphas.
I trans remotæ Regna Cafrariæ,
Decurre velox Marmaricis pigras
Terras arenis, & remotos
Vise Sinas, geminamque Iavam.
Maiora terræ Sidera, lætior
Non indecoro murmure concine.
Et PALLAVICINAS Curules,
Trans Arabas Gyarosque fige.

## X.

## AVGVSTINI PALLAVICINI

*Ducis Serenissimæ Reipublicæ Genuensis.*

### PANEGYRIS LYRICA.

ET Te non humili jubet
AVGVSTINE metro Pierius calor
Ætati

Ætati dare posthumæ:
Inſcriptumq; polo Nomen, & aureæ
Mentis non ſolitum decus
Vatum Sarmaticâ dicere barbito,
Te faſces Genuenſium,
Et mærens viduo murice Purpura,
Ereptum populo Ducem
Fruſtra continuis planctibus invocant,
Et damnant cupidum æthera.
Te plorant querulis garrula fluctibus
Vicini vada Nerei,
Et lethum vitreis luctibus increpant,
Et quæ dat violentior,
Caſtigant auidæ jura Proſerpinæ.
Pro fluctu lacrymis madent,
Funeſtoque replent murmure littora.
Alpes nubibus æmulæ
Soluunt egelidam in lacrymas nivem,
Tantus Principis eſt amor!
Vixiſſes, utinam Maxime Principum
AVGVSTINE Ducum jubar.
Sed conſanguineis major honoribus
Fatis te eripuit Nepos,
Ac tanto ſuperas tempora Præſule.

# X I.

## Illuſtriores Cyneæ:

*Legationes Celſiſſi. PALLAVICINORUM ad Sũmos*

ORBIS PRINCIPES.

QValis effuſo ratis incitatur
Æolo, nec jam medij retentat
Quaſſa Neptuni vitra, nec quieto
Littore gaudet,
Nec volans curvo retinetur unco
Anchoræ; ſed quò rapit ira Cauri,
Fertur in Scyllæ ſcopulum, improbævè
Saxa Charybdis:
Sive iactatam temerat carinam
Auſter aſſultans; tamen expetitas
Anxio merces Domino fidelis
Bajulat Argo:
Sive pacatæ recubant procellæ,
Et Thetys dormit, placidoq; comis
Mulcet afflatu cicurata Ponti
Murmura ventus:
It peregrinis onerata lucris
Prora

Prora per ſidas, & inhoſpitales
Inſulas, Indo properans recocta
Sole metalla.

Sic Tuum, Præſul Trabeate, mundi
Vſibus natum Genus explicato
Navigat velo revehens in omnes
Commoda terras.

*Abrainus, itē Petrus Palla. legati ad Philipum Regem Galliæ.*

Hic ubi Scaldis tumet; ABRAINVS,
Dêinde MARTINVS, parilique mente
PETRVS, ingentis ſubiêre portum
More phaſeli.

*Martinus Pallavi. ad Regem Gal. & Angliæ*

Regiam Cypri, Solymæque ſceptra, &
Barbarum luſtras IACOBE Araxem:
GASPAR AVGVSTVM, cui colla, prona
Subdidit Eos.

*Iacobus Pallavicinus ad Regem Armeniæ, Cypri,*

*Gaſpar Pallav. Legatus ad Imperatorem Orie.*

Qualis externo DAMIANE ferves
Sole! Te Reges populique ſpectant
Patriæ extorrem; prope mundus vno
Pendet ab ore.

*Damianus Pallav. Leg. ad Reges Hiſpa. Arragō ad Venetos.*

Vt mihi vaſtæ patuere gentes!
Quæ per auvlſas vaga Fama terras
Vos rapit, ſeſe per & alta jactat
Æquora virtus?

Magna Stirps cunctas pede non profano
Proterit terras, Latiumque toti
Non rudis mundo, Latioque totum
Reddere mundum.
Nec fames auri ſtimulat, ſuîque
Venditor faſtus: lucra provehuntur
Publicæ ſortis; tumuêre tali
Carbaſa vento.
Sive pax mites oleas popoſcit,
Sêu juvant torvum truculenta Martem
Bella: vos paci, genitique bello,
Fertis utrumque
Par & ad ſummos agitur Dynaſtas,
Plena centaurus Domino, it reditque
Non egens donis, opulenta vecti
Nomine Nuntii.
Fortior pectus penetrare gaza,
Quàm globus ferri, nequit obſtinatæ
Mentis auguſtal pretioſiore
Rumpere telo.
*Plutarchus in Pyrrho de Fabricio.* Sic Ducem Pyrrhus Latium, nec auro,
Belluâ movit neque rugiente:
Altior monſtro ſtetit & doloſo
Mune-

Mùnere virtus.

Cùm frequens veſtro lateri ſatelles
Adſtat; incedit numeroſiore
Ambitu Virtus, animoſque Recti
Aula coronat.

It Fides, & Fas, & amica legum
Æquitas, & non ſtudioſa lucri
Turpè privati Pietas, aperto
Pectore Candor:

Ponè Majeſtas abit, & ſagacis
Conſilij Prudentia Mater, & quæ
Eminet fatis, adamantino Con-
ſtantia vultu.

## XII.

## LAVREÆ TRIVMPHALES PALLAVICINORVM

*bello Illuſtrium.*

CLaſſicum belli fremit: ergo Præſul,
Quæ ſacris ardet ſuper aure gemmis,
Submove Mitram: ciet acre veſtra
Carmen Enyo.

Seu

Seu Tibi mitis Pietas inermē
Inſtruit pectus, licet innocenti
Militas Divûm pugil arte celſis
Cernuus aris,

Te triumphali ſeries Avorum
Martiis ambit metuenda criſtis,
Seque permiſcent galeæ tiâris,
Scipio contis.

Aureo donant phaleras Nepoti
Ferrei Patres, clypeos & enſes
Pila cum ſcutis, cumulantque crudō
Munere lucem.

At quis Heroūm venit à ſilentûm
Arcibus, nec jam pavidus ſepulchri
Aſpicit ſolem, faciēque vivas
Colligit iras?

*Nicolaus Pallav Genera. Dux Seren: ſuæ Reip. cōtra Orientē.*

Noſco pugnacis fera NICOLAI
Arma, queis (ſolà nequit ut teneri
Patriâ virtus) tremefacta turpè
Palluit Eos.

*Abrainus Generalis Dux Claſſium.*

Ponè cognatis ABRAINVS armis
Claſſium Præſes micat, & ſuperſtes
Laudis, è cælo trahit haud ſepultam
Fune-

Funere mentem:
Me nec obſcurum tumuli coërcet
Marmor: umbrarum ſubeo cubile.
Qui jacent Manes! tumuêre quanto
Milite tumbæ!
Hic riget grandi THEODORVS umbrâ: *Theodorus Gene. Dux Trapezuntis.*
Marmor hoc ſentit MERVALDVS: ille *Merualdus Dux contra Latium*
Mars Trapezuntis; Latijque terror
Iſte Gradivi *Andreas Pal. Gene. Dux contra Suldā. Ægypti.*
Preſſit ANDREAM lapis hic: at iſte
Prodigum ferri ac animæ IOANNEM!
Fulmen in bellis geminum, timendi
Robora Martis:
Alter Hiſpanæ validus cohortis *Ioannes Pal. lav. Genera. dux Hiſpan. in Lombar.*
Ductor; Ægypti trepidatus alter
Arbitro, Nilum tumidamque Memphim
Terruit armis:
Hic & hic magnas cinis implet urnas.
Pluribus victor neque pulvis exſtat
De viris, ſed vel rigidi metallo, aut
Marmore durant:
At fidem ſervat lapis, & metalla
Poſthumam gaudent reparare vitam,

Arte

Arte ſpiratur, *neq; magna fatum*
*Nomina truncat.*

*Vivit Heroum decus, & ſepulchro*
*Altior virtus, tumulis perennem*
*Gloriam ſancit, neq; mors decoros*
*Infodit auſus.*

En ut & mortes Tibi bellicorum
Militant Patrum! proprijs renides
Quàmlibet geſtis: *fluit ex avito*
*Gloria ferro.*

## XIII.
## LANFRANCVS
### PALLAVICINVS

*Regem Cypri, à ſe victum, Genuam Captivum duxit.*

NOn faſtuoſo Regibus ambitu
Te CARDINALIS Purpura Comparem
Sediſſe gemmeâ Curuli,
Sed Pietas, meritique Iudex,
Qui Vaticano de ſolido Mitras,
Ceu fulgurantes Sol radios jacit,
Celſùm imperavit; at vetuſtæ
Si repetas monumenta cladis,
Et col-

Et colla Regum ſub pede deſpicis;
Quos præliari Marte minacior
Fregitque, probroſâque ſtrictos
Exhibuit Genuæ catenâ
LANFRANCVS olim. Quis mihi plumbeis
Turbo ſeverùm grandinat imbribus!
Queîs bella detonare telis
Pamphilium video per æquor?
Ferronè mollis Cyprus inhorruit?
Vel ſeſſa nutat Marte Palæpaphos?
Armiſnè vapulat Cythera?
Aut trepidis Salamina muris
In fata durat? num Veneri Paphos
Addicta fœdo corruit exitu?
Ludor, reformidata priſci
Mentem agitant ſimulacra fati;
Sacerq; vatem decipit Entheus.
Antiqua veris bella furoribus
Iuvat, redordiri, cruento
Cùm Cypriæ dominator oræ
Fractus duello. non ibi fulmina
Tonata Pyrrhi, non ferus Africæ
Everſor horrendo fremebat

Indomiti tonitru Gradivi;
Non fregit Alpes callidus Annibal:
PALLAVICINI territa copiis
Cypruſquè, Regnatorq; mollis,
Et Paphiæ tremuère turres,
Cùm cruda ferri diluvies mari
Vndavit, & Mars turbine prælii
Sævâq; tempeſtate belli
Pamphilias tremefecit ùndas;
Velut minaci fulmen ab æthere
Turrita Regum Pergama diruit,
Araſque Divorum, & ſuperbi
Mulctat atrox humeros Olympi:
Sic bellicoſis horridus ignibus
LANFRANCVS ibat: tum domitâ Cypro
Regem catenatum in triumpho,
Et tumidum ſpoliis trophæum
Ovans reduxit. quæ Genuenſibus
Se Scena portis intulit, Auſonum
Æquanda pompis, cùm triumphus
Romuleos Capitolijque
Colles ſubiret. Victor eburneo
PALLAVICINVS vectus in eſſedo;

At

At Rex trahebatur videntûm
Ludibrium populiq; risus (
Si turget usquam, Phryx sapiat tumor
Sic eruditus compede Cypriâ.
Depressa sic fortuna Regum,
OPITIO statuit trophæum.

## XIV.

# BENEDICTVS

## PALLAVICINVS GENERALISSIMVS Serenissimæ Reipublicæ

### REGEM CYPRI

*Captivum à Soldano Ægypti, redimit.*

*Regibus nasci, bona fortuiti*
*Credimus fati. dare sceptra, Divûm*
*Munus illustre est; negat ulla Reges*
*Gignere virtus.*

*Grandior, quisquis reparare novit*
*Damna fortunæ potiorq; virtus.*
*Perditis fato graviore Reges*
*Reddere sceptris.*

Ergo transcendis pede non profano,

Quidquid humanâ BENEDICTE turget
Mole, virtutis bene vel Deorum
Munere functus.
Cypriæ postquam moderator oræ
Sub jugum Memphis trabeata flexit
Colla, fortunæ jocus, & nefasti
Scena theatri:
Non rudes norânt Dominum catenæ,
Principem, ut servos religare visæ!
Subdito fertur tumuisse torvus
Rege Canopus.
Nec leve id genti Phariæ trophæum,
Rex erat vinctus, *miseroq; peior*
*Seruitus leto:* & scelus, hæc, Deorum;
Gloria Nilo.
Nil opus vinclis: *grave mancipato*
*Principi lorum pudor;* hoc nefandum
Pressa majestas tulit in Threissa
Compede probrum.
Tu paludati miseratus imam
Mancipii sortem, prohibes adactos
Compedum nexus, placuitque vinclis
Demere Regem:
Si rotam Ixion, aquilam Prometheus
vinceret

Vinceret, si quis DEVS expediret
Sisyphum saxo, Tityum volucri,
Enceladum Ætnâ;
Par foret donum: minus exeuntis
Thesei prædux Ariadna fecit:
Majus est Regum juga, vel probrosum
Tollere cippum.
Bactra si Cypro BENEDICTE nectas,
Persidis gazas Arabumq; census
Id parit tellus, fluviusve conchâ, aut
Vectat arenis?
Vna libertas pretiosiorem
Anteit gazam, teretesque gemmas
Præstat oblato Cypriis redempta
Ære potestas?
Clarat id magnæ monumenta Stirpis
Inter æternos Atavûm decores
Parta regnantis numerare demum
Sceptra clientis;
Hinc quoque assurges, Ephesine Præsul,
Purpuræ sidus Latiæ (Parentes
Posteris vivunt, & Avi Nepotum
Nomina fundant.
XV.

# XV.

## PRINCIPVM FAMILIA

Alluditur ad Prìncipatus Gallicani &
Civitellæ, ac Ducatûs Castri in Familia
*PALLAVICINA*

VNo nōn satis est locō
Defigi insolitæ regna pōtentiæ?
Angustis malè clauditur,
Et cèu sub rigidis carceribus gemit
Virtus septa repagulis:
Arctarique brevi limite respuit
Mens mundi amplior ambitu.
Sic Phæbus modici partibus ætheris,
Et parvâ renuit casâ
Damnari rosei fulgura sideris;
Orbem sed geminum sui
Auro conspicui luminis imbuit;
Nec vestris minor obtigit
Augusti Proceres, mentibus Orbita:
Non uno diademate
Vestras implicuit sors melior Comas:
Vrit sed geminæ caput

Immor-

Immortalis honor sidereum Mitræ:
Et sacro diademati
Frontem purpurei Præsulis erudit.

## XVI.

## RELIGIO IN DEVM PALLAVICINA;

*Et Sacra liberalitas ac Fundationes.*

AVrata celso Sæcula Sanguini,
Quondam smaragdis Gloria fuderat;
Gemmæque Sapphyrique, onyxque,
Et pretij radiique multus
Chalybs in ævum ditius iverat
PALLAVICINIS. at Pariis quoque
Trahantur anni de cavernis,
Et rigido titulos, Quirites,
Durate saxo. Cernitis? ut duæ
Crevêre moles ( ut Genuensibus
Tectis supervectæ, remotos
Despiciunt Ligurum Penates,
Celsisque quassant verticibus Iovem

*Marcellus Pallav. Genuæ Societatis IESV tēplum & Domum Prof. erigit.*

Lucta-

Luctatæ in auras! iam latices Macræ,
Iam tergus Apennini, & undas
Assidui Genuæ profundi
Spectare sudant. Mauræ Abylæ jugum,
Vel sub Latinum sidus Ibericæ
Calpes cacumen, fastuosa
Herculeæ monumenta laudis
Faustè immigrarunt? at tumidæ Herculis
Cedant columnæ, prodigialiter
PALLAVICINO nata fisco
Se geminum subijsse culmen
Superbit ædes. Ara stat altior,
Nec vile saxum! at Regia Cælitum,
Divûm lacunar, hospitantis
Aula DEI, populique asylum.
Huc convolantûm sponte relabitur
Divûm è superna sede colonia,
Nec æde cælos æmulante
Cælicolas habitare tædet:
Latona non sic Delon inaugurat,
Apollo Delphos, Iupiter Ilium,
Thebas Lyæus, Iunovè Argos,
Frugiferamque Ceres Eleúsin,

Pallasve

Pallafvè Athenas: non Ephefum fubit
Diana talis, ceu Superûm globi
Dotata MARCELLI tributis
Templa colunt, populosque gaudent
Fervere votis. Non tenui propè
Exfurgit ædes culmine, quâ Tui, *Ibidem Colegium Societatis IESV, Fundat. Pat. Balbi E[mi] Propinquus*
LOIOLA Dive, detinetur
Prima cohors veterana figni.
Haud, dives uno defluit alveo
Profufa cenfûs munificentia;
Sed more Pactoli evagata,
Muneribus Genuam pererrat.
IGNATIANOS jam bene compferat *Ornavit tũ Patruus tum Frater Eminenti.*
Nitor penates! fed Patrui novum
Ex ære, Fraternisque Præful,
Divitiis decus enatavit:
Sic mole fauftâ gloria tollitur!
Sic fama durat! fic pretiofius
Paratur ævum! lævigatus
Sive lapis coalefcit arte,
Seu cæfa Sacros fylva Lares parit,
Seu ardet aurum gemmaq; conflagrat:
Quæcunq; cælo dedicetur
Materies; folidantur anni.

## XVII.

### *Eiusdem Sacræ in Superos liberalitatis Encomium.*

CApute propinquis porrige nubibus,
Æterna moles. Magnificum Tibi,
Séu arte, naturævè certes
Ingenio, pretium æstimator
Transcribit æther. Dij celebrant opus
Mundusq́; judex. Et lapis, & cedri,
Et parva laudatore cælo
Pondus habent fruticeta laudis.
Hic Conditorum nomina gloriæ
Stravêre nidos. quæ pretiosior
Portenta luxus fabricavit;
Stant subito peritura fato,
Vt fila Arachnes. si qua perennior
Servavit ætas, more cucurbitæ
Brevé intumescunt; nec lacerti
Perpetuo micuere cultu:
Mentita soles astra monilium
Extinguit ævum: céu fatuo tumor,

Se lu-

Se ludit igne; nec retentis
Vlla fides pretiumq; gazis.
Auro renidens dum paries, aút
Crustata gemmis se laquearia
Vetant videri; non tuendum
Luce probant rigidâ nitorem:
Conchyliatæ sors chlamydis color
Herum erubescit, vel tremulâ Togæ
Striâ exprobrant, & arrogantis
Excutiunt Domini tumorem.
Non cassa volvit pondera Sisyphi,
Quisquis reposto Cælicolas lare
Invitat: immortale parvis
Dat pietas pretium metallis:
Velut quietis æmula fluctibus
Cernique mendax umbra reimprimit
Fastigiatis alta tectis
Pergama, cæruleisque totum
Depingit undis, ars operosior
Quocunq; turget. quin rudior casa,
Céu probra demergant procellæ,
Degenerat, tumidisq; præstant
Mapaliorum tecta palatijs

Fallente lympha. Sic ubi Cælites
Delubra reſpectant, minutis
Dat pretium favor ille fanis,
PALLAVICINI nobile ſit licèt
Vectigal auri. Frigora marmorum
Sudent, renidenteſque gemmæ
Luce diem geminent, ad uſque
Solis pudorem: ſed pretium datus
In pignus æther grandius efficit
Prò quanta laus terreſtre Numen
Reddere, terrigenaſque Divos!

## XVIII.

# NOVA SIDERA
## Societatis IESV

*Ex Celſiſſima PALLAVICINORVM Domo.*

NOn fruſtra Apelles ſollicitâ manu
Miſcet ſerenis atra Coloribus;
Iovemquè Zeuxes fulminantem
In medijs benè pingit umbris.
Nigras coruſcus Sol latebras amat;

Cla-

Claramq; tristi lætior exerit
E nube frontem; Luna pulchros
In tenebris iaculatur ignes.
Nec Te Quirinis Patribus additum
Tuæq;, Præsul, sidera Purpuræ
Germana funestavit umbra,
Quin radios geminetque lucem;
Fulges Latinæ sidus adoreæ
IGNATIANI grande jubar Poli,
DEOq; plenum pectus, altæ
Non solitum Columen Palæstræ,
Tantoque Pollux Castore dignior.
Te non profani luminis arbitrum

*Eminētissimi Frater Theol. Professor Genuæ Rector.*

Solemque iuratum tenebris
Saxoniæ timuere noctes.
Quis fæta multo Numine pectora?
Mentem quis alti non vacuam DEI
Pari celebrabit Camænâ;
Et calidas Superis medullas?
Lycæa nuper Te Genuensium,
Famæ volantem non popularibus
In astra conspexêre pennis,
Cum Ligeri Tyberinus amnis

Vidit profundi munere pectoris
Admota terris Numina. Visus es
Ceu Sol Cisalpinis Aquinas
Sidereos reserâsse fontes,
DEVMque doctis mentibus intimum,
Non usitatâ luce, decemplici
Polo reduxisse, & seueris
Artibus explicuisse Divos;
Quanto nouellas mitior imbuis
Ardore mentes? Te hi melius Sacro
Chirone decertant Achilles,
Vincitur & tenero subacta
Tirone virtus. Quantus in ardua
Nuper Curuli, Concilio Patrum
Divoque sublimis Senatu
Ausoniæ dare vota serves;
Paremque Atlanti sufficis Herculem, &
IGNATIANIS fascibus admoues
In Rege Patrem, lacrymanti
Restituens Latio Parentem:
Sic te rubentem Murice Romulo
Fraterna claris Vmbra Coloribus
Distingvit, Antistes ter alte;
Et Latij grave Sidus Ostri!

XIX.

# ALIA SIDERA
## In Societate IESV
### *E Stirpe PALLAVICINA.*

VOs quo Carmine conſecrem
Terris atque polo grandia Nomina?
Quos armis Pater Igneus
Divinæque pares Militiæ viros
Dux inuictus inaugurat.
Te primum roſeus iuſſit eburneo
Phæbus dicere pectine,
Quem Tellus cupidis ſideribus datum
Seris planctibus inuocat,
Et ſurdum lacrymis increpat æthera.
Te fruſtra ſibi Socratem
Poſnanienſis doluit porticus eripi;
Te nil proficientibus
Veſtigavit iners Viſtula fluctibus;
Immitemque Proſerpinam
Damnauit querulà Metropoli Cracus;

*Fabricius Pallav. poſt Cathedram. Poſnanien. Præpo Dom Prof. Cracoviæ.*

Cùm

Cùm primum ſibi Præſidem
Ereptum gemerent emeriti Patres.
Te Florentia, Gallia,
Te mæſtis doluit Roma Quiritibus;
Seu Te faſcibus aureis
Divus fleret honor, ſeu dociles Sophi.
Te verò Latij decus
Quo felix radiat Roma ſuperſtite
Et ſeptemgeminis Tua
Inſcripſiſſe tumet nomina collibus:
Quis Te Pegaſus impiger
Cælo contiguis nubibus inferat?
Aut inſpiret Apollinem,
Quo Te digna canam, grandis Horatiꝰ?
Seu Te præſide jurgia, &
Doctarum caleant prælia frontium,
Seu pugnæ teneant modum;
Te annoſi Socratis porticus invidet
Et mallet Plato Iudicem:
Vmbroſum latebras excuteret nemus,
Ferverentque calentibus
Pro Zenone ſuo litibus atria;
Seu tu Iudicis arbiter

*Nicolaꝰ Pallavici. Frequẽs Eminentiſſimi, Præpoſ. ſtudiorũ Romæ.*

Impo-

Imponis rigidæ jura ſcientiæ,
Et blando ſapientiam
Vel freno prohibes, vel ſtimulo increpas
Omnes Te metuunt, amant,
Et patrem in rigido Iudice diligunt.
Hinc ut Te Superi diu
Seruent, Roma ſacris collibus annuit:
Haud obſtat precibus polus
Auguſtuſq; *Pater sic Superos rogat*

## XX.

# MATERNÆ ORIGINIS SPLENDOR

Eminentiſſimi CARDINALIS

*Ex Illuſtriſſima Domo SPINOLARVM*

SVblime quidquid Sors voluit, pari
E fontē ducit. Non humili cadit
Regnator undarum Paduſà
Oceanus: refugit minorem
Nilus Caycum. Truditur aureo
Pactolus amni, Gange fluit Tagus;

Parvæque nesciunt myricæ
Nubiferam genuisse Cedrum.
Nec Tu minori profluis alueo
Auguste sanguis. Te trabeas super
Altasque Principum Curules
Non humili posuisse dextra
Lucina felix; fulgure purpuræ
Stitisse fletum dicitur: aureis
Solata mitris vagientem, &
Purpureis agitasse cunis.
Quis SPINOLARVM Nomina Principum,
*Spinolæ Duces Montiũ & Cliviæ* Quos magna flexo Clivia poplite,
Et collibus pronùm supinis
Siderei coluere Montes,
Æternet altæ carmine tibiæ?
Vel Marte claram progeniem canat?
Vel pace formidanda, magno
Pectora quis numeret Marone?
Quá lucet Eos, & roseum diem
Aurora pandit; quà iubar aureum
Ducunt verecundi iugales,
Et tetricam pepulêre Noctem,
Hac SPINOLARVM Gloria, Cæsarum
Se pin-

Se pingit Oſtro; hoc ſanguine Græciam
Accendit Argentina magno
Coniugio Imperioq; felix.
Materna tantam ſtirps geminat diem
Vtroque Magnum Cardine Præſulem,
Seu merſus undis, ſeu renaſcens
Per populos vehit igne Titan.

*E Spinolis Argentina Imperatrix Orientis.*

# XXI.

# LAVREA BREDANA,

## Vbi AMBROSIVS SPINOLA

*Expugnator BREDÆ celebratur.*

ET jam biennem pæne adamantino
Vallata muro; aut ferrea concuti
Experta Gradivum, parabat
Vrbs rigido furioſa Marte
Tormenta paſſis ſcribere mænibus
Æternitatem. Namq; decennia
Queis Troja deſedit, minora
Viſa Bredâ Batavûmque mente.
At præliantûm caſtra Quiritium
Et fiſa muris agmina, diſcite

 Conſta-

Constare momento triumphos,
Ac subitò properare magnam
Magnis ruinam. Robore frangitur
Robur. mucronem mucro retundit, &
Fatalis Ilio ruinam
Flamma parit, facilisque summa
Occasus urget. Namque velut gravi
Leo cruentus vulnere, dum jubas
Rubere vidit, quidquid iræ
Quidquid inest animi, supremis
Impendit ausis: nec patiens probri
Fertur per agros; per nemorum avia,
Causamque scrutatur doloris;
Tunc foliis agitat paventem
Formidò sylvam; sed leo vulneris
Sensu asperatus robora sauciat,
Ornosque præmordet, cedrosq; &
Innocuas populatur alnos,
Mitesque palmas; cumquè minacior;
( Vt non inultus corruat ) effero
It dente castigare sylvas,
Non humilis probat ira Regem:
Sic pertinaci Marte biennium

Flam-

Flammavit iras AMBROSII, æmulus
Sic invidentûm livor; ergo
Quos animo generosa virtus
Cogit furores, in geminum calens
Effudit hostem. Sistite aheneæ
Mugire moles; jam modestis
Attremuit BREDA fulminata
Hinc inde tectis, durior & suis
Vrbs quassa muris optat Ibericos
Mordere frenos; æmulorum
Stat rabies malè sana torvam
Dejecta frontem. Non ego Dardani
Implebo fastos cladibus Ilii,
Aut Pelasgûm curioso
Arma Ducum celebrabo versu.
Vati decorum SPINOLA sit metrum
Bredæquè strages. Id pueris senex
Id feriatis Vir, Nurusque
Attonito referet Nepoti:
*Fessam bienni SPINOLA prælio,*
*Bredam subegit, quodq; Virum probat,*
*Et Vrbem, & obluctantem iisdem*
*Invidiam superavit armis.*
Sic victa pulchris urbs odiis calet,

Plausuq;

Plausuq; virtus non caret hostium:
Pugnasque victoremque tollet,
Iure licet Batavo revincta.
Quin mille promet nomina, quæ fluunt
E SPINOLARVM sanguine: Principum
Mitras, Tiaras Præsulum, ingens
Et Procerum numerabit agmen.

## XXII.

# EPINICION

## EIDEM AMBROSIO SPINOLÆ

*Et pluribus ex eadem Propagine*

ARma biennali bello jam fessa, trucesque
Martis minas, Marteq; ridebat Breda;
Sola, quod est bello magis insuperabile telum,
Quàm fulmina tonitruq; vincebat fames,
Non murū, at populum. Nam vicos præter- Egestas,
Strigosaq; domos ibat esuries comes
Languor erat, morbi pallentes, Luctus, avaræ
Mortes, & atrâ morte deterior mora
Ad fatum: placuitq; mori de clade superba,
Quàm dedere urbem, pace vel precariâ
Vivere:

Vivere: nec Batavûm fortis se credidit hostis:
Potentiores ni forent muris Viri
Tum (quid enim sibi sæpe nocens livorq; dolusq;
Non tentet?) urbi jussus inducias dare
Pænè reducebat victrices absq; triumpho
SPINOLA cohortes, probra pro lauru ferens.
At Superi faciles dare, quod diuturna negârant
Fata, superârunt arduam vinci Bredam?
Ergo triumphales, Victoria, iunge quadrigas;
Et revehe aperto SPINOLÆ laudes polo.
Vicit Io robur Batavûm, invidiamq; suorum
SPINOLA! duorum victor hostium simul!
Tu quoq; seu Zephyris equitas, seu temo laborat,
Fama, tibi qualem roseus Arctophylax regit,
Per populos & regna citos moderare iugales,
Validoq; Iberum buccino Martem tona.
Quo-Te-cunq; feres circumvaga sidere, nimbos
Deplue ligustri, sparge SPINOLAM rosis.
Si Sacra belligeros ornant, aut laude Nepotum
Trophæa Proavûm serus accumulat honor,
OPITII subnecte pedum, horrendisq; tiaras
Conjunge phaleris, & truci togas sago,
Cognatos Regum titulos, trabeasque Quiritum;
Signaque Ducum, rubeasq; Pontificum mitras
Heroumque aquilas, Fasces, ancilia, lauros,
Tristisque, pacatæque gloriæ notas.

Supra

Suprà dicta sic descripsit IOANNES de Bussieres Societatis IESU in Flosc: Hist: circa an: M. DC. XX. V.

*SPINOLÆ magna laus parta, Bredâ expugnatâ. Iam annum alterum implebat obsidio, nec vi, sed fame, hoc est alienâ patientiâ, nitebatur. Iamq; ab Hispania jubebatur abscedere SPINOLA die, qvo vrbs capta est; ut de constantia hostium, suorumq; triumphaverit simul.*

## XXIII.

# LAVREA IAPONICA

Vbi Familia Maternæ Eminentissimi CAROLVS SPINOLA Societatis IESV *Martyr in Iapone, extollitur.*

QVantus Patritiis fulgor in atriis
Fumosas veterum clarat imagines?
Hic urunt trabeas. Stemmata Cæsarum,
Et Regum diademata?
Hic

Hîc Sacræ rubuit purpura Curiæ,
Hîc cornuta flagrant pilea Præſulum,
Heroum hîc clypei, & fulmineus chalybs
Crudo lumine fulgurat:
At non OPITIO gloria mitior,
Tantùm Patritiis rideat ignibus;
Et crudelis honor carnifices rogos
Tortoremq; focum excitat.
Sævit Iaponiis flamma furoribus,
Quas nigris Acheron, Noxq; cubilibus
Infandùm genuit, dant furialibus
Fomenta Eumenides pyris.
Ambuſtus nocuis CAROLVS ignibus
Luctatur Superis magnam animam dare,
( Verus ſupplicii cauſa DEVS, rea
Virtus, & pietas ſcelus: )
Exſpiratque; tamen relliquias premit
Sub toto profugi pectore ſpiritus,
Inſpectatq; polos, ſe moriens probat
Magnum funere SPINOLAM;
Sed quêis nota legit ſidera vultibus,
Et quêis occiduus conflagrat æſtibus
Proluditq; ſuo, morteque prænotat
Ad celſa OPITIO viam.

H Vt ſcin-

Vt ſcintilla jocans ludit in àére!
Vt fumus volucres ambitioſior
Præceſſiſſe Notos! non humilem ad Deos
Signant utraq; tramitem.
Europam Tyriis urere purpuris,
Auro vel phaleris, non ſatis eſt: parat
Materni generis gloria CAROLVS
Nomen ſupplicio Tibi.
O lux Auſoniæ! ſidus & inclytum,
Quod gentilitio ſtemmate promicat,
Ex conſanguineo pulchra Veſuvio
Haurit lumina ſanguini.
Non ſic purpureis è Triviæ genis
In noctem refluit ſplendor, haud diem
Tali vel medius ſol radio imbuit;
Æterno neq; Virgines
Igni perpetuum ſic nutriunt focum.
Afflatus moritur vel Zephyro levi,
Amittitq; ſuum nomen in àére
Splendor virgineæ facis:
Ignis ſed CAROLI ſidere clarius
Veſtaliq; pyrâ longiùs emicat,
Vt fulgore Tui ſidera nominis
Antiſtes, geminet; Nepos
Et pæna

Et pœna innocui fulguret ex Avi,
Ac bustis rubeat purpura. Si sacra
Fumum flamma parit; nox ea proferet
Fætum laude meridiem,
Atris nobilitas vera coloribus
Se pingit: vehitur gloria nubibus:
( Sic narrant ) equitat nube super DEVS,
Cùm terras tonitru ferit,
Vel lustrat populos. Seu Tibi sanctior
Non vili radiat murice purpura,
Seu vittis Ephesus gemmat, Avi nigra
Fuligo radium adjicit.
Post Regum titulos, nomina Cæsarum;
Divûm progenies pulchriùs audies.
Emptum morte decus vivet, & ætheri
Venalis nece gloria,
Cognatoq; diu funere vivida
Non informe caput porriget, & licet
Tostus sacrilegis SPINOLA sit pyris:
Crudum laus sapiet nihil.

## XXIV.

## *LAUREA DOCTORALIS*

## *EMINENTISSIMI*

*CARDINALIS in Germania.*

LAuream ſi quis, virideſque ſacri
Arbores Pindi renuit, beatus
Aureâ frontem radiare glebâ,
Turpè decorus:

Pallet iratus, latebraſque mallet,
Quàm Midæ infamem redimire frontem,
Erutus terrâ Tagus, & pudoris
Vritur igni,

Si rudem felix malè cinxit Hermus.
Pulchriùs lauro ſociatur aurum:
Dives in docta meliùs rubeſcit
Fronte Metallum.

Nec tibi ſolæ pretioſiori
Infulæ crinem radio ſerenant:
Pulchra ſed lætùm viret erudito
Vertice Laurus.

Præviæ Sacris præiêre vittis
Laureæ ( ſerpſit per amica quondam,
Tæniæ ſedem properare iuſſus,
Tempora ramus.

Sive

Sive facundo fluit ore Suada,
Aut pari Musa superas Maronem!
Te recens Laurus, viridiq; Apollo
Arbore cingit.

Sive divino Comitem Platoni
Socrates alto celebrat recessu,
Se Tibi doctâ nemus in Coronam
Fronde supinat.

Conscias Rhenus Tibi movit undas,
Et tumet doctis resonare rixis
Theutonum lucus, memoratque Sacræ
Iurgia mentis.

Hâc Alemannæ pretium Stagiræ, &
Pulchriùs crevit decus, unde tales
In caput serpunt hederæ, quod olim,
Roma coronet.

## XXV.

### *Prima Sacri imperii auspicia Eminentissimi CARDINALIS in Italia.*

PRimas Hesperiæ faces
An nox cæca premat? Fulguret, & diem
Sors

Sors præambula Romulæ
    Gestorumquè ferat gloria Fascium.
At nec Pieridum accinet
    His invita chelys, quos genialibus
Permistus radiis Honor,
    Nec Fors lenta tuis intulit atriis.
Sed quænam OPITIÆ jubar
    Nôrit penna Domûs suppari Apolline
Venturis dare posteris?
    Deductumque polo sidereum Genus,
Gestas cum trabeis Mitras,
    Prævectosquè Sacris summa Curulibus
Heroas memori Metro
    Audax attonitis pandere sæculis
Partum muneribus decus?
    Ætates superat grande negotium,
Et vincit calamos labor,
    Seu Te Romuleæ munus adoreæ, &
Sacri stamina muricis;
    Seu virtus potior luce Quiritium
Romæ Patribus inserit,
    Ac metam Latiis figit honoribus;
Haud par sufficit Entheus

Qui

Qui ſeris referat tanta nepotibus.
Te Septempeda, Fabria,
Prædux Auſoniis Faſcibus ambiit.
Mons altus nimiùm tumet,
A Tanti titulo Præſulis altior
Et Cælo caput inſerit,
Nec mendacia jam nominis expavet
Solo te minor. Haud minùs
Vrbis te Veteris Pergama præſidem,
Nutu non ſolito colunt,
Et ſubdunt meritis Colla ſecuribus.
Hinc pronum pavet Aſculum,
Hinc Firmum trepidis culminibus timet
Sacræ iura potentiæ.
Sic quæcunq; venit, non nova dignitas
Pulſat limina Præſulis:
Olim nobilibus floruit atriis.

## XXVI.

# INFVLÆ ASIATICÆ

## Eminentiſsimi

*CARDINALIS, Archiepiſcopi Epheſini.*

INgentes animas amat
Cæleſtes Epheſus nacta Triumviros,

Seu

Seu Tharſenſe tonitruum,
Seu poſt Thimothei jura revolveris,
Seu Vatem Zebedæium,
VERBI delicias pectoris extimo
Defixas ſolio. Parem
Si felix Epheſus Cælitibus vovet,
Tu votis potioribus
Affulges Aſiæ, nec pudet Heſperum,
Quòd Divis parit æmulas
Mentes ſub Latiis Auſonidûm plagis.
Ille es, cûi meritum caput
Vrit purpureis Romulus ignibus,
Et florent Latiæ Sacrâ
Vittæ cæſarie. Te roſeis Honor
Veſtigare iugalibus,
Auratâque volans dicitur in rota
Pulchram vincere pertinax
Fregiſſe Auſoniis muneribus fugam:
Et pictam refugo Togam
Inieciſſe humero ſ puniceum caput
Infrenavit honoribus.
Tu pulchris Epheſi dignior Inſulis
Altum ſurgere verticem;

Innitique

Innitiq; pedo regificas manus;
Et fulgore biverticis
Mitræ gemmiferis Præſul in ignibus:
Te pulſis Epheſus colit
Expugnata Diis! Tu veteris Deæ
Imples nobilior Deus
Aras: Iſthmiaco Tu potius micas
Auro Numen: eburneis
Te ſupplex populus placat honoribus;
Et quidquid rutilo Tagus
Pactoluſq; rubens educat in ſinu,
Delubrum decorat DEI.
Te vittatus Arabs Thuris odoribus,
Te myrrhâ Cilices colunt:
Et flagrant niveo lacte nitentibus
Aram ſpargere lilijs:
Æternoſq; fovent ignis anhelitus
Divis perſtrepere in focis!
Te ſolùm cupidis ſideribus dare
Ne Sidus propera novum:
Quin aras Epheſi prodigio graves
Annis vince perennibus,
Supremiſq; caput faſcibus erudi.

## XXVII.

# DIVINIOR
## MERCVRIUS

Eminentissimus CARDINALIS
Nuntius Apostolicus Florentiæ in Hetruria,
*in Germania, deinde Polonia*

SI quis sollicitì carmine barbitì
Fidus ponè comes regna per, & plagas,
Passus Præsuleæ dinumeret viæ,
Et vestigia consecret:
Illum præpetibus pulcher Horatius
Pennis, vel volucri Dædalus induat
Alarum obsequio, vel celerem vehat
Iunctis aura Favoniis,
Sêu iunctam Tyberi visit Hetruriam,
Tyrrheniq; secat marmora Nerei,
Sêu passu niveo Nuntius altior
Macræ littora consecrat:
Illum prona suo Thuscia vertice
Annosæq; colunt Regna Fluentiæ.

Quæ

Quæ perflata novo floruit Hoſpite
Et nomen renuit vetus ?
Seu Te Romuleis Alpibus eripis,
Supremumq́; pari Theutonibus refers
Majeſtate Patrem; tardior algido
Te Rhenus ſtupuit vado
Legatum Latii. Te Caput urbium
Acclini coluit fronte Colonia,
Turritaſq́; domos, & rutilo graues
Auro depoſuit tholos.
Seu das belligeræ iura Poloniæ
Et Lechis Latium finibus admoves,
Te præceps hilari Viſtula flumine,
Lætus murmurat & Tyras,
Majoremq́; novis Faſcibus inſerit
Patrum Purpureæ Pontificem Rotæ; &
Fuſis, auſpice Te, Lechia gratior
Pingit Biſtonibus Togam:
Tot regnis Latio Mercurius venis!
Tot circùm populos irradias! velut
Lux Phæbi rutilans, quæ celer aureis
Orbem permeat ignibus.

XXVIII.

# ANGELVS PACIS

*Legati à latere in Regno Polo-niæ, idem Eminentissimus* CARDINALIS.

## NVNTIVS

TE licet Tybri cohibere Roma,
Et jugis septem velit; è Paternis
Evola nidis, Lechicoq; misce
Nomina Cælo.

Non sumus crudum genus; à polito
Fluximus Lecho: gelidam nec Arcton
Vsque sentimus: levis é remoto
Incubat Eos.

Non dies acri medius Polonum
Excoquit flammâ; face mitiori
Vrimur: multis nec opacat umbris
Hesperus agros.

Tempus æquatis bene currit horis:
Meta nec mundi sumus; in medullis
Ceu cor Europæ placidè Polonus
Vertitur orbis.

Hæc Diis tellus habitata quondam,
Prisca ni fallunt; Steropes Tonanti

Fertur

Fertur hinc contra tumidos dediſſe
Tela Gigantes.
Sic Eleuſinis Celeúm nec agris,
Vt Ceres Lechum beat; hîc Gradivus
Regnat; hîc prenſat domitrix ferarum
Sceptra Diana.
Adde Te noſtris grave Numen oris
Auſonum Sidus; nec amica cælo
Sceptra devita, placeatq; Magno
Patria Divûm.
Sic Hydaſpèis pretioſa gemmis
Tethys exſpumat: Tagus ad remotas
Volvitur gentes, vehiturq; fulvis
Hermus arenis.
Nec ſatus Majâ ſuperûm recuſat
Eſſe Legatus, Cyneaſve Pyrrhi
Lingva: Tu magnam Latii Parentis
Indue mentem.
Non Quirinalis, licet æquet orbem,
Vrbs ſatis: multus Tibi ſit theatrum
Mundus, ut toto malè fata ſummos
Orbe coarctant.
Vota nec temnis: Lechiam ſubîjſti,
Sidus

Sidus auguſtum! bene; ſic in aurum
Ferreos per Te reparabit INNO-
CENTIVS annos.

## XXIX.

# ANNVLI
## PONTIFICII GEMMA,
### Vbi Eminentiſſimi CARDINALIS
*Æſtimationi amoriq; apud Summum Pontificem accinitur.*

LAtè ſonori murmura claſſici,
Et aura vulgi, nec titulos juvant;
Nec fixa virtuti ad perennem
Ædificant monumenta famam;
Fatis Coloſſi, & Pyramidum tumor
Sternuntur; & miracula Phidiæ
Sudata fabricante cælo
Tempus atrox quatit, & trecentæ
Nutant columnæ. Fama perennius
Excudit ævum, grandior intimas
Depaſta ſi virtus medullas
Romuleo minietur oſtro.

Te verò Præſul, quanquam & imaginum,
Quas ex avita Gente recolligis,
Auguſta circumſtat corona,
Et proprio rutilas ſereno,
Vltraque celſos, quam tituli parant,
Aut duplicatæ gloria purpuræ,
Erecta majeſtas coloſsos,
Non humili ſubit aſtra niſu
Prægreſſa terras: Tu tamen altiùs
Aſſurgis, altis Romulidûm iugis
Theatra nactus! Non Catonis
Ore, ſed arbitrio INNOCENTii,
Ad ſumma quantum eſt creſcere! Sæcula
Audite! multus pectore quò DEVS,
Quò tota virtus, innocenſque
Candor agit, pietas eòdem
PALLAVICINI non popularibus
Subintrat auſis, jamque cor occupat
PALLAVICINVS INNOCENTii,
Iam Latias meruiſſe vittas
Cenſetur iſto Iudice: jam ſacris
Surgit Tiaris, jam rubeo comam
Frenat galero, jam Latini
Emeritus Cyneas Parentis

Viſit

Visit Polonæ Regna potentiæ,
Altusque mentis grandia Regiæ
Arcana librat, Teque multùm
Sarmatico Tyberine Rector
Ostentat orbi. Musa tenacibus
Insculpe saxis, Carpatio super
Faunique mirantesque Nymphæ,
Atque loqui faciles Napææ
Narrate clivo: tu quoque Vistula
Mitè adstrepentûm murmure fluminum
Crystallinis hæc insusurra
Auribus Oceani stupentis:
*Ornat tiaris OPITII caput:*
*Illum & sacratis ardet amoribus,*
*Regnisq; Regibusq;, & Orbi*
*Insinuat Moderator Orbis.*
Sic grande gestis grandibus Albula
Decus reponit! Lege probabitur
Mundi renarrantis, quod Orbis,
Quod Latii Pater approbavit.

## XXX.

# LAVREA
## OTHOMANICA

Emi;

## Eminentisſimi CARDINALIS

*Ob adhibitam operam in componendo fœdere Principum Chriſtianorum contra Turcam.*

Pugnata fauſtè Pannonicis ſuper
Duella Regnis, aut trucibus Getæ
Dacûmq; campis, territumq;
A Veneto pelagus Gradivo
Partis adornant Te quoq; laureis:
Et probra fracti Biſtonis in Tuum
Cedunt trophæum. Vt incaleſcit
Theutonicis LEOPOLDVS armis!
Vltore qualis ſacrilegum quatit
Crimen Gigantum fulmine Iupiter,
Fit funus immenſum Typhœus,
Enceladus ſepelitur Ætnâ,
Gigante multo Pelion, & jugum
Octæ rubeſcit: talis in arduos
Vinci Gelonos Cæſar altùm
Detonuit, ſceleriqué pœnâ
Decreta bello judice. jam Tyram
Potæ cohortes in Scythiæ volant

Fatumque, probroſamque ſtragem;
Qua Getici rubuêre Campi.
Cui ſuperſtes, vel Tanaim Geta
Tranat, vel Euxino dubiam ſpei
Ratemquè Fortunamquè credit;
Aut vacuò ſua fata campo
Veſanus infert. Iam Venetis gemit
Feſſus carinis Adria: jam timet
Capi Propontis, plurimoq;
Navigat Oceanus Gradivo:
Hinc triſtè lugens Boſphorus efferis
Immugit undis: cruda ſed hoſtium
Poſt Sceptra, Muſarum nutrices
Ad Dominos rediiſſe Athenæ;
Et Regna gaudent. Denique Moſchicus
In præliantûm fædera Principum
Venitque, iuravitque Mavors
Odryſio exitium Tyranno.
Hæc bellicarum vincula Gentium
Tuas decoris nexibus illigant
Curas, triumphatæque partem
Fortè Aſiæ Tibi fama verax
Inſcribet olim. Nam cum Alemanicis
Cæſar

Cæſar Polonos jungere viribus,
Et fœderatis tot Quiritum
Agminibus relevare fractum
ıdaret orbem? Cæſareis Tuos
iıſces beatâ ſorte laboribus,
Regemq; victurum, ac in arma
Lechiacum trahis arte Martem.
oc & ligari fœdere Moſcuam; &
rræ potentes, ac pelagi, quèis
Neptunus arrogans ſubeſſe
Non refugit, Venetos laboras;
t efferatus multiplici cadat
lo Gelonus: difficilem mori
Qui ſolus enecabat Orbem,
Vt ſocio juguletur orbe.
rax ergo Mavors in Rhodopes jugo
diſſe, & Hæmi vertice mæſtior
Tuasque virtutes ſevero
Dicitur increpuiſſe queſtu:
*viſa Eoo ſæcula nomini*
*ıæ monſtra* (dixit) *gignitis? ô male,*
*Deductus Hoſpes à Latino*
*Sidere Sarmaticum ſub axem,*



*Qui*

*Qui Christianis fœdus in intimum*
*Svadet Dynastis vincula! vincula*
*Vinctura Thracas!* lacrymatus
Ter gemuit, caput & ter acri
Concussit ictu, ter quoq; palluit
Fædata vultum Cynthia. Sed Tibi
PALLAVICINE stant adaucta
BARBARICIS monumenta fatis;
Laudesque surgunt mortibus. Austriæ
Servator alter, vel Patriæ Parens
Dicetur olim: Christiani
Tu clypeus columenque Martis.

## XXXI.

## *Eidem Eminentissimi Felicitati,*

***In sociandis armis Orthodoxis contra Orientem accinitur.***

QVisquis potenti Carminis impetu
Aurita surdis marmora cautibus,
Promptumquè Caucaso nivali
In choreas animavit Ossam;
Et iuncta sævis agmina Tygribus
Pardo-

ardorum, eburno pectine lenisti,
Tractumque per gyros profanis?
Oceanum sociavit undis,
inora fecit. Te attonitus stupet
ec posse credit, quæ fieri videt,
Orbis reluctantem disertâ
Flectere Te potuisse Suadâ
arma Lechum. Prodigium fuit
nctum Polono Danubium Istulæ
Tyræque Rhenum, concitato
Bosphoron impetijsse fluctu!
so paventem Bistone Thracium
rbasse pontum; cladibus ebrias
Fudisse ripas, & tumentem
Austriacis pepulisse campis
pemus Hebrum. Tu Latiâ potens
gate Svadâ, viribus eloquI
Traxisse nubibus minacis
Carpatii juga celsa montis,
esque duro marmore frigidas
n usitatæ lege potentiæ
Flammâsse! porrectâ vicissim
Pannoniam properâsse tristem

Iuvare

Iuvare dextrâ. Plus Socialibus
Remota nòdis iungere pectora; &
In fata iuratas Gelonûm
Belligeras animâsse Gentes:
Vinxisse plus est Corda adamantino
Infesta nexu. Non solitum, at Tuum est
Infesta regnis Regna in unum
Imperiî revocâsse corpus.
Ergo recentes OPPITIO refer
Vienna lauros: Austria Thracibus
Excussa cervicem reclina
Præsuleæ peramica Svadæ?

## XXXII.

# MANVS
## *PONTIFICIA*
Per Eminentissimum CARDINALEM
SERENISSIMO IOANNI III.
REGI POLONIÆ

*dat insignia ituro ad solvendam Viennæ obsidionem*

Adhvc nè

ADhucnè pigras Imperio manus
Audax negabit Lechus, & efferis
Adusta flammis in Corallos
Non adiget gemebunda nostrum
enna Martem? surgite Sarmatæ,
sueta Thracum cladibus agmina
Impunè palantes severo
Cum Geticis socias phalanges
cete ferro. Victor in arguos
urge contos Leche micantibus
Te oppone telis, Orthodoxi
Ferrea progenies Gradivi.
enna fumat! stringite Thracio
ses calentes sanguine; nec novo
Vacet fatigatus triumpho
Per iugulum volitare Mavors:
gina ferrum respuit: & pudet
gere dextras, quas toties suo
Aurora succendit cruore,
Non iterum caluisse tabo.
fata Thraces trudere pertinax
dere frustra pariete in aureo
Chalybs recusat, & latentes
Excutiunt pharetræ sagittas.

Augusta

Augusta crebro vulnere frangitur
Vienna! fumant turpè micantibus
Delubra flammis! ac in una
Excidium timet Orbis Vrbe!
Ne bellicosi nectite Sarmatæ
Moras; propinquis Vcalegon calet
Vester favillis, & timendos
Sarmatiæ Geticus minatur
Vulcanus ignes! vincite Carpatum
Victrice planta: nubibus æmulas
Calcate rupes; & labantis
Hungariæ superate iactas
In astra moles. Perge volucribus
Viam trisulco fulmine torridam
Tranare pennis, ô Viennæ
Præsidio bene nata proles?
Vt Te, rubenti Pannoniæ iuga
Flevere vino! Te lacrymantibus
Montes racemis tristè plorant,
Teque sitit malè pota vitis!
At Tu Latinæ Gloria Purpuræ,
Inserta primis Gemma curulibus,
PALLAVICINE, Cor Senatûs

Purpurei,

Purpurei, ſimul & beatæ . . . . . .
Pars magna pugnæ, fatidicus Sacrum
Vrge Gradivum, nec dubijs manum
Accende votis, ominatus
Chriſtiadis ſine ſtrage laurum,
Et mille Thraci funera. Iam tument
Inſtrata Beſſo plana cadavere!
Ceſſere Lunæ; iam Vienna
Parte ſuî meliore ſpirat,
Legitque palmas: Danubius ferâ
Miſcetur undâ! per jugulum Getæ
Volat Polonus, & per ipſa
Intrepidus ruit arma Mavors,
Vrgetque Lauros; inſequitur citis
Per ſtrata paſſim corpora paſſibus
Fugam Muſurmanni, & perennes
Tergoribus facit enſe faſtos:
Sepulta tandem ſulphureo caput
Attollit igni lætior Auſtria;
Nomenque Legati laborat
Barbaricis memorare buſtis.
Hic verò, Præſul, perge adamantinum
Iovi Polono fulmen, & aurea

Fidus Minister ferre tela ( &
Gorgoneâ Chalybem rotandum
Cervice, rarum Romulidæ Patris
Munus Lechæo credere Perseo,
Pellæa quali dextra nodum
Explicuit, peperitque Regnum:
Vel quali Orion emicat, aut ovans
Getæ superbo fulmineis benè
Regnator Epyri timendus
Messuerat capita alta telis;
Trilice ferro Scipiadæ Lechi
Munire pectus perge: volucrium
Horrore plumarum decoro,
Et galeâ redimire frontem:
Altum minaci depropera caput
Nutare cono; versicolor fluat
Per terga pardus; vel iubatus
Per teretes Leo ludat armos:
Gravemque Clavâ Sarmatiæ Herculem
Ducem catervis, Regifico super
Attolle Scuto; mista Lechis
Austriadûm comitentur arma;

XXXIII

XXXIII.

# ROMANA PVRPVRA

## Ipſo die triumphatæ in

*Pannonia Budæ Eminentiſsimo oblata.*

NOlo rubentem murice purpuram,
Et indecori ſanguinis ebrios
Contemno cinctus; quos profano
Sidonii Tyriique molles
Tinxere ſucco. Deflue grandibus
Regum lacertis, quam recoquunt ſuo
Seres aheno, lana; dorſum
Turpè micat, puduitque fædi
Quod pinxit oſtrum, ponderis. Altiùs
Aſsurge Beſſo ſanguine decolor
Murex; & hoſtili cadentem
E iugulo bibe palla fucum.
Quæ fumat hauſto Purpura, Concani
Tepetque tabo, cingere dignior
Ducis paludati lacertum,
Quàm Tyrii leve fulgur oſtri?
Solem laceſſit pulchrior aſpici,

Quæ ſe recenti cæde ſuperbior
Tabo volutat, & decorum
Palla trahit rubicunda vulnus.
Et Tu calentem ſanguine Biſtonum
Ne temne Lanam; Romuleo Caput
Submitte Majeſtate plenum,
Mercurius Lechiæ, Galerò.
Te Buda fractis ariete turribus,
Crebroque paſſim fulmine pronior
Lætùm ſalutat; & ruinis
Emeritum venerata Myſtem
Fuſo laborat tingere purpuram
Vittaſque tabo: cædibus ebrias
Et Thrace demerſo tumentes
Danubius Tibi volvit undas.
Natant Gelonûm ſanguine naufragi,
Merſique campi cladibus, & Tuas
Cruore deformes fluenta
Deproperant pepuliſſe ripas.
Erepta nigro ſidera fulmine
Latensque denſo ſulphure Iupiter
Budæ parentat, & ſeveras
Spargit ovans Libitina myrtos.

Hic

Hîc fulminantes æra vomunt globos
Hîc iacta ſternunt fulmina turgidas
In aſtra turres; hîc ſepultis
Cum domibus tegit una cæſos
Ruina Thraces: diruta grandibus
Rimis loqvuntur mænia Cæſarem,
Victoſq; damnat, ac hianti
Arce biceps revocatur Ales,
Sternitq; nidos laurigerâ ſuper
Emortuorum ſtrage cadaverum,
Et neſcios fati triumphans
Ore ciet renovatque plauſus.
At non minori Te ſacer impetu
Quirinus urget; victa modeſtia eſt,
Cùm Buda ceſsit; dum cruento
Pannoniam populatur enſe
Minax Gradivus. Romulus aureo
Intaminatum Te petit Arjete;
Pectuſq; neſciri obſtinatum
Purpureis ſibi vincit armis.
Quis non perenni iure nepotibus
Tranſcribat auro, nec niveo diem
Signet lapillo? cùm rubenti
Cæſariem Tibi Roma cingit
Iurata nodo, nec ſolitis comam

Caputq;

Caputq; Sacrum ſtringit adoreis:
Cùm læta defluxit per armos
Purpura, quæ tumuiſſe tantis
Viſa eſt lacertis. Danubius fero
Colorat illic ſanguine Muricem,
Hîc flavus antè, nunc laborat
Purpureas Tibi Tybur undas:
Hîc Buda nigro fulmine decolor
Aduſta furuis Theutonis ignibus:
Hîc æmulo Auroræ Galero,
Et roſcis Tibi Roma blandè
Vittis inumbrat Puniceum Caput.
Vtroque Terræ Cardine plauditur!
Victoris Ales INNOCENTiî
Cæſareos geminat triumphos
Augetq; plauſus. Tu roſea ſuper
Vectus Curuli purpureo Patrum
Fulges in oſtro; Cæſar inde
Laurigerâ Iovis arce plaudit.

*Atque hic ſubſiſtimus, ubi Tu ſẽper Maximus, poſt Thracum ruinam ſic aſsurgis. In eum Te gradum*

*dum tunc extulit Roma, ut tantùm in unicũ iam possit. Etquidni illuc olim provehat, si Summum velit? Nomen id tempus distinet; rem in gestis, quibus nil grandius; meritis, quæ sum̃a, iam augurio geris. Certè animorum suffragia votaq; illuc Te destinant, ubi Eminentissimo, si passum adhuc unum in alta faciat, honorum sit terminus. Cæterum antequam se hæc evolvãt omina, effusæ in hæc & diu perennaturæ felicitatis præsagia Societati nostræ illud interim in votis est, ut eam Tua*

*Emi-*

*EMINENTIA cogitet semper suò Honori, semper tanto NOMINI Vectigalem.*